

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LXIV. Additamenta de Titulo Augusti

urn:nbn:de:bsz:31-102564

LXIII. DE TITVLO AVGVSTI.

quam potuit, pleno et rem magis declarante titulo, quem sermo Teutonicus, fundamento *praecipui* salvo, ad significatum *amplificandi* deflexit, SEMPER AVGVSTVS, auspicio divinus, re sacratus, exemplo sanctus, et uno hoc nomine omnem gloriam, summamque venerationem complexus.

AETERNITATI AVGVSTAE.

LXIV. ADDITAMENTA DE TITVLO AVGVSTI.

Regnum Germaniae est toto orbe praestantissimum, et auspicio originis, ac praerogativa antiquitatis nobilissimum, et acquisito Romanorum Imperio, ac delato *Augusti* titulo, inter omnia quoque Imperia splendidissimum, nominisque huius indicio, et singulari elogio sanctissimum, ac in societate gentium, inprimis moratorum et Christianorum praecipuum, eaque dignitate et eminentia ab omnibus imperiis et regnis distinctum.

Primus *Augusti* titulus cum primo acquirente C. Octavio coepit, et iudicio non rudis et imperitae multitudinis, sed populi heroi et principis, qui aliis populis Reges dabat, et decreto Senatus, qui Regum instar, in Vrbe rerum domina curabat, attributus, et proprio ac perpetuo iure servatus est, ut imperium, omne humani imperii fastigium excedens, hoc titulo teste declararet. *Id quod constat ex Tranquillo, Dione Cassio, Xiphilino, Constantino Manasse.* Praeter quos Cicero huius vocabuli proprietatem, adiecto nomine idem significante exponit, et *sanctum augustumque* coniungit, in *Tusculan. quaest. lib. V.* Hoc argumento Livius, Romulum *habitu se augustiorem fecisse tradit, quod se venerabilem insignibus imperii fecisset, lib. I. c. 8.* Idem hoc colligitur ex Plinio, Censorino, Cassiodoro, et consequentium temporum scriptoribus, qui verbum augendi facrum, et ex disciplina augurali sumptum non ignorarunt, et data occasione, alii post alios explanarunt, aut certe inficiari non potuerunt. Idcirco in plerisque Romanis inscriptionibus cognomen *augustorum* Diis additum est, et templa, in quibus Dii colebantur, *augusta* veteres appellarunt, *Livius l. I. c. 29. Lampridius in Heliogal. c. 111. Etiam Ovidius, rei Romanae, et ritus antiqui peritus, Fastor. lib. I. Dixi autem, paulo ante populum Romae heroum, auctoritate Themistii in orat. XIII. et praecipue Dionysii Halicarnassei, affirmantis coloniam Alba dum, non ex grege fugitivorum hominum, sed ex flore nobilissimorum civium, qui genere et virtute maiores suos referebant. In his semen et fundamentum*

mentum novae et Martiae Urbis fuit, quibus deinde magna, supervenit turba hominum, aperto Romuli alylo, undiqve huc delatorum, *Liv. l. 1. c. 8. Virgilius Aen. IIX. Ovid. Fast. l. Iuvenal. Sat. IIX.* Post Octavium, Claudios, Flavios, et Antoninos, *Semper Augusti* titulus et receptus, ac titulo triumphatoris subiunctus, et C. Septimio Severo adscriptus, sed Constaniniano, inprimisque Theodosiano aevo magis invaluit et frequentatus, ac deinde constanter servatus, atqve Imperatoribus, etiam Germanicae nationis attributus, ac perpetua lege continuatus, omniumque gentium ac populorum seiro comprobatus fuit.

Inscriptio Severi, quamvis mutila, et in Iani Gruteri thesaurum relata, atque ex inde a Felice Ofio repetita

PROPAGATORI, ORBIS.

AC. ROMANAE. REI.

VICTORI AC.

TRIVMPHATORI.

SEMPER AVG.

* *forsan RESTITVTORI,*
quod cum sensu et stylo
congruit.

Orbis hic intelligitur Romanus, iure imperii veteris constitutus, quia Rom. Imperium, quod ad Francos Germanosque delatum est, non iisdem, quibus antiquum illud, finibus continetur. Ius ceteroquin Imperatorum Rom. adhuc in eo competit et superest, quae Romani nunc habuerunt, cum Imperium ad transalpinos, primum Francos, deinde ex diversa acqvirendi causa, ad Teutonicos transferretur. Nam ne integra quidem Italia erat in ditione imperii Romani, cum ei caput ex Francis Germanisque statueretur, propterea quod Italia Langobardica diu ante subtracta fuerat, ut non multum abesset, quin ipsa imperii sedes a Langobardis interciperetur, nisi Franci subsidio venissent, Romamque servassent, eodemque postea exemplo Teutones in libertatem vindicassent. Auspicio igitur Augusti Imperatoris, et potestate Caesarea non designatur ius ad occupanda omnia et recuperanda, quae ad imperium vetus pertinerunt. Neque enim successio in locum plus tribuit, quam is tunc habuit, quum in eius locum successio acqvifita et facta est, quae ratio acqvirendi hic valet, quando Franci non plus acqvifiverunt, quam Imperatores Graeci Romani ante eos obtinuerunt, id est summam potestatem, quae et Romae veteris, et patrimonii sacri terras atque oppida cum ipso Urbis Antistite comprehendit. Quod Francorum ius omne postea Ottoni magno, Germanorum Regi partum et confirmatum est, non rarione successionis et Karolini sanguinis, sed ex alia habendi causa, et pleno belli iure, quo summum illud perpetuumque cum augusto splendore coniunctum dominium, non suae duntaxat familiae, ut Francis usu venit, sed univrsae Germanorum nationi, et omnibus adeo in regno Germaniae

Vuuuu

suc-

LXIV. DE TITULO AVGVSTI.

successoribus sine ulla revocandi facultate, et perpetuo mansurum. Nihil hic Francis, nedum Capetinis, ereptum est, eo quod Reges Carolinae surpis adhuc viverent, neque Langobardis Imperatoriam dignitatem suscipientibus obfisterent, neque ab excessu Arnolphi repetendae eius indicia proderent, et hoc certe argumento, eam pro derelicta habitam annuerent, pactumque cum Karolo Magno initum, non ultra eum, et aliquot eius successores valuisse, hoc silentio suo declararent. Quamobrem Germani hic nihil debent Francis, et suo atque *originario* acqvirendi iure augustam dignitatem, eiusque ratione titulum in omni memoria sanctissimum tuerentur.

Eodem argumento Imperatores Romae Veteris antecedeabant Constantinopolitanos, et Romae novae Imperatores, propter antiquiorem imperii sedem, idque usus confirmat, et quod inter Reges Christianos valet, *Rituale Ecclesiae Romanae*. Qua in re quatuor capita obversantur, primum antiquitatis, alterum professionis sacrorum, tertium continuatae possessionis praecedendi in omnibus conciliis et conventibus, et quartum in omnium consensu gentium positum, quo Augustus ut Princeps auspicio sacratissimus, et re nomineque maximus, agnoscitur ab omnibus et aestimatur: ex quo constanti usu, et perpetua omnium seculorum oritur ius, quod occasionem causamque usurpandi eius tituli aliis praecidit. Non ergo assentior novis scriptoribus, praesidenter negantibus, ex capite religionis Christianae non sumi ius praecedendi inter gentes Christianas, uti visum est *Ioanni Tesmario in Grotium lib. II. cap. 5. p. 305*. Illud denique non omittendum est, quod Flahertus suggerit, antiquos Hiberniae Reges, solis Imperatoribus Romanis postponi voluisse, atque adeo illorum summam prae aliis dignitatem agnovisse *in Ogygia Insula part.* Waraeus innuit, primos Hiberniae Reges, oleo sacro inunctos, eoque Francis praelatos fuisse, quod probare annuntur Vsserius, et huius vestigia secutus nuper Flahertus. Cum vero de Imperatore Romae novae aliquid indultum hoc subiiciendum duxi, quod Sylvester Sguropulus scripsit, Sigismundum Imperatorem destinasse sibi, si orbis decederet, Constantinum Palaeologum in Imperio successorem *in historia Concilii Florentini editionis Hagienfis p. 36*. Sed an id promiserit, et sine consensu Imperii *Electorum* promittere potuerit, haud inquiri, quando nihil tale in monumentis Caesareis, nihilque in actis publicis reperire licet, ut tota haec Sguropuli narratio mihi suspecta, et falsa videatur.

LXV.